



Aegidius ex nobili familia Tschudinorū Claronæ apud Heluetios natus est. Is cum felici ingenio esset præditus, in patria literarum rudimēta iecit, atq; postea ingenij excolendi gratia in exteris nationes sese contulit. Ibi artibus & linguis magna diligentia incubuit, atq; in primis Mathematicas disciplinas egregie didicit. Erat is quoque magna prudentia insignis, atq; facundia naturali præditus. Itaq; in patriam reuersus, ad rerum gubernacula uocatur, atq; honestis officijs præponitur. Scripsit is pro sua industria librum de prisca ac uera Alpina Rhetia, cum cætero Alpinarum gentium tractu, mira antiquitatis obseruatione, locis

illis peragratis, & optimis quibusq; in hoc genere authoribus, & uetustis ubique literarum ac instrumentorum (ut uocant) monumentis perlectis compositum: unà cum tabula, ubi scitissimè regionum illarum Rhetia, Heluetia, Sedunorum, ac maioris partis alpium situs depingitur, cum Germanicis & Latinis locorum nominibus. Ad beatum etiam Rhenanū de nomine Germaniæ Epistolam scripsit, atq; hoc modo communem patriam illustrare proposuit. Quin etiam in publicis Heluetiorum comitijs in magna semper autoritate fuit, atq; suis consilijs utilis patriæ ciuis extitit. Cum autem Claronæ Euāgelij lux 1560 affulgeret, atq; Aegidius in ueteri illa Catholica (quam dicūt) permaneret, patria sua discessit, atq; Raperschuuile ad lacum Tigurinum apud uicinos Heluetios habitare cœpit. Vbi is senio conspicuus etiam num agnoscitur, Con. Gess,